

et cæteris actionibus, vel imperfectas, vanas aut fabulosas doctrinas, sive Judaizantium, sive hæreticorum, maxime Simoniacorum et Gnosticorum.

*Inst. 1.* Idem est sensus Patrum. Nam 1<sup>o</sup> nihil recipiunt extra Scripturam: Sic TERTUL. de carn. Chr. Marcionem alloquitur: *Non recipio, quod extra Scripturam de tuo infers*; HIER. in c. 23. Matth. *Quod de Scriptura non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*; et in c. 1. ad Tit. *Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non habet fidem*. 2<sup>o</sup> Traditiones non scriptas reprobant: Sic BASIL. in Ascet. de ver. fide scribit: *Manifestissimum hoc infidelitatis argumentum fuerit et signum superbæ certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere; aut eorum, quæ non scripta, introduceere*; et THEOPHIL. ALEX. ep. 2. Paschali: *Diabolici spiritus est, aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum*. 3<sup>o</sup> Usum traditionis hujusmodi vituperant: Sic IREN. L. 3. c. 2. de hæreticis inquit: *Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem Scripturarum convertuntur, quasi ex his non possit inveniri veritas ab his qui nesciunt traditionem*; CYR. HIEROS. Catech. 11. ait: *Cur igitur curiose inquiris ea quæ Spiritus non scripsit in Scripturis, qui ea quæ scripta sunt non nosti: in his quæ scripta non sunt non sis curiosus*; et Catech. 16. *Dicemus de Spiritu sancto ea tantum quæ scripta sunt: si quid autem scriptum non est, non scrutabimur curiose*. Ergo.

*R. N. Ass.* Ad ejus prob. 1. D. Nihil recipiunt extra Scripturam rejiciendo traditiones Scripturæ contrarias et apocryphas, C. respucendo veras et authenticas, N. Primi generis traditiones intelligit Tertullianus, qui Marcionem dicit, *originalia Christi instrumenta delere ausum, et de suo inferre*. Eundem sensum habet primum HIERONYMI testimonium, cui hæc præmittuntur: *Alii Zachariam patrem Joannis intelligi volunt ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quod propterea occisus sit, quia Salvatoris prædicavit adventum: quod quia de Scripturis non habet auctoritatem etc.* Secundum huc non pertinet; cum solum perstringat eos qui Scripturæ testimoniis abutuntur, eaque in suorum errorum patrocinium contorquent, ut ex loco integro patet: *Et quidem sine Scripturæ auctoritate garrulitas non haberet fidem, nisi viderentur per veram doctrinam in divinis testimoniis roborare. Hi sunt de circumcisione Judæi, qui tunc temporis nascentem Christi Ecclesiam subvertere nitebantur, et introducere præcepta legalia etc.*

Idem respondetur ad prob. 2. Nam transmissa auctoritate Asceticorum, quorum auctorem Sozomenus. L. 3. c. 15. facit Eustathium Sebastenum; Basilius hic tantum rejicit hæreticorum, ut Scripturam corruptentium, sic traditiones confingentium, *doctrinam a Dominica alienam, et a pio sanctisque litteris consentaneo sensu abhorrentem*. THEOPHILUS autem impugnat Origenem, *tanta confingentem, suum errorem sequentem, ausum nocitura proferre in medium, et in fabulas quasdam et deliramenta procedentem*; ut in eadem ep. prosequitur.

*Ad prob. 3. D.* Vituperant traditionis spurie usum, C. authenticæ, *subd.* usum illegitimum, C. legitimum, N. Valentiniiani apud Irenæum provocabant ad traditiones suas expolis Apostolicis; unde sequitur: *cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni dicentes se non solum presbyteris sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sin-*

*ceram invenisse veritatem*. CYRILLUS autem inutiles duntaxat questiones, sive circa divinæ generationis modum, sive circa Spiritus sancti nomina, hic loci rejicit; utilem autem traditionis usum non item; cum ibidem multa de utroque mysterio libris divinis haud expressa ipse proferat.

*Inst. 2.* RATIO id ipsum persuadet. Nam, 1. Traditiones maximam partem ab Hæreticis sunt usurpatæ; ut Tertul. L. de Præscr. docet universim, Iren. autem L. 1. c. 23. et 24. de Basilidianis et Carpocratianis speciatim; 2. Sunt erroris et fabularum in Ecclesiam introducendarum occasio; ut patet ex regno millenariorum a Papia, Justino, Lactantio, et aliis Patribus invecro; 3. Sunt obnoxie tum mutationi, ut patet in multis, vi traditionis olim vigentibus, nunc vero antiquatis; tum omnimodæ desitioni, quale fatum attulit traditio dogmatibus Lycurgi, Pythagoræ et similium.

*R. N. Ass.* cum prob. 1. Quia modus confingendi traditiones, easque Scripturis præferendi, ab hæreticis usurpatæ, est abusus traditionum, quem Tert. et Iren. laudati carpunt, et in quo juxta Cyprianum in ep. ad Jubaian. hæretici se probant simios Catholicorum; quorum traditiones veræ sunt et per Christum vel Apostolos communicatæ, dum eorum sunt falsæ et ab auctoribus nullius fidei prolatae.

*Ad prob. 2. D.* Sunt erroris et fabularum occasio per se, N. per accidens, C. sed ob hanc causam æque parum ac Scriptura, quantumvis per similem abusum detorta, est rejicienda. Porro Millenariorum dogma ex Scriptura male intellecta potius quam ex traditione ortum habuit; et si quidem habuerit etiam ex hac, defectus stabat in eo, quod solum ad antiquitatem, non vero ad universalitatem, consensionem, aliasque traditionis qualitates, attendebatur.

*Ad prob. 3. D. quoad prius:* Traditiones circa disciplinam, ritus et cæremonias sunt obnoxie mutationi, C. circa dogmata et mores, N. Primi generis exempla scimus in prægustatione mellis et lactis, immersione trina, penitentia publica, communione sub utraque specie etc. secundi nulla extant.

*Quoad posterius N. Ass.* Contrarium docuit experientia in traditionibus sacris ab exordio mundi ad Christum usque conservatis: disparem autem rationem facit tum verbi divini reverentia et fidei necessitas, tum providentia utrique addicta, quæ sacræ traditioni, præ illa Philosophorum profana, debita est ac convenit.

72. *Dico IV.* Admittendum etiam est in *hypothesi* verbum Dei non scriptum, et existunt Traditiones divinæ circa plura dogmata quæ admittit Ecclesia Catholica. *Prob.* Nullum est dogma, quod Ecclesia Catholica admittit ut fide credendum, quod non exigat et habeat pro fundamento verbum Dei vel scriptum vel traditum; quia 1<sup>um</sup> postulat notio divinæ fidei, 2<sup>um</sup> autem evincit Ecclesiæ infallibilitas infra probanda: sed aliqua sunt dogmata ab Ecclesia Catholica admissa ut fide credenda, pro quibus verbum scriptum extat vel nullum, vel saltem non clarum et convincens; ut adversarii ipsi contendunt: ergo pro ejusmodi dogmatibus debet extare verbum Dei traditum: ergo existunt Traditiones quædam divinæ. *Conf.* Patres et Concilia in asserendis dogmatibus, ab Ecclesia Catholica admissis, provocant ad divinas Traditiones de hujusmodi dogmatibus; cum præ his custodes et testes Traditionum meliores alii assignari nequeant.

*Antecedens probatur.*

I. Ex dogmate de extantia et numero librorum canonicorum; de quo Serapion obtrusum sibi Marcionis Evangelium respiciens apud Euseb. L. 6. hist. Eccl. c. 12. ait: *Nos et Petrum et reliquos Apostolos perinde ac Christum ipsum suscipimus: sed quæ nomen illorum falso inscriptum præferunt, ea nos utpote gnari ac periti repudiamus; quippe qui compertum habeamus, ea nos a majoribus minime accepisse;* Origenes ibid. c. 23. sic scribens refertur: *Sicut Traditione accepi de quatuor Evangeliiis, quæ sola in universa Dei Ecclesia citra controversiam admittuntur;* et Aug. L. cont. ep. fundam. c. 5. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

II. Ex dogmate de sensu librorum canonicorum; de quo Orig. Tr. 29. in Matth. inquit: *Quoties autem canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Christianus consentit et credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum est veritatis: sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et Ecclesiastica Traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis;* et Clem. Alex. L. 7. Strom. *Qui verbis non recte sed perverse utuntur, neque eos, quos deceperunt, sinunt assequi veritatem. Sed nec ipsi introitus clavem habentes, sed falsam quamdam et adversam clavem, per quam non relaxato velo, ut nos ingredimur per Domini Traditionem, sed exciso ostio et muro Ecclesiæ perfosso, veritatem transgredientes, efficiuntur principes et duces mysteriorum.*

III. Ex dogmate de S<sup>ma</sup> Trinitate de quo Basil. L. de Spir. S. c. 29. scribit: *Sane contra id quod dicunt, glorificationem cum Spiritu carere testimonio, nec in Scripturis extare, illud dicimus: Si nihil aliud est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur: sin plura arcana citra Scripturam recepta sunt nobis, cum aliis pluribus et hoc recipiamus. Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus inhærere, quarum maxime una est et hæc, de qua nunc agimus; quam qui ab initio præscripserunt, per longam consuetudinem Ecclesiis irradiarunt;* Epiph. Hæc. 69. *Respondete nobis Arii discipuli: Ingenitum dicimus omnes simul Patrem et increatum; et admirabilis est dictio scilicet; ubi itaque est dictio hæc scripta, ostendite: neque enim Lex, neque Prophetæ, neque Apostoli etc.;* Augustin. L. 3. cont. Maximin. c. 3. *Da testimonia, ubi adoratus Spiritus sanctus; quasi non eis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus. Sed ne querere multa compellar: tu ubi legisti Patrem Deum ingenitum vel innatum? et tamen verum est.*

IV. Ex dogmate de baptismo, sive parvulorum, sive ab hæreticis collato; de primo Origen. in cap. 6. ep. ad Rom. inquit: *Ecclesia ab Apostolis traditione accepit, etiam parvulis baptismum dare;* et Aug. L. 10. de Gen. ad lit. c. 23. *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi Apostolica esset traditio.* De secundo Idem L. 5. de Baptis. c. 23. *Si non habent baptismum, qui de Deo prava sentiunt, hoc posse et intus accidere, jam satis disputatum est. Apostoli autem nihil quidem exinde præceperunt; sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesiæ, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.*

Et L. de unitat. Eccles. c. 19. *Hic forte dicis: lege mihi, quemadmodum Christus suscipi jusserit eos, qui ab Hæreticis transire ad Ecclesiam volunt. Hoc aperte atque evidenter neque ego lego, neque tu.... Cum hoc nusquam legatur; credendum est testimonio Ecclesiæ, quam veracem esse Christus testatus est.*

V. Ex dogmatibus contra Novatores definitis a Tridentino; pro qua decisione ad Traditionem provocavit Concilium Sess. 6. c. 3. circa justificationem per fidem; Sess. 13. c. 8. circa communionis sacramentalis sumptionem a Sacerdotibus et laicis; Sess. 14. c. 1. circa potestatem remittendi et retinendi peccata fidelium, Apostolis et eorum successoribus communicatam; Sess. ead. de Sacr. extremæ unct. c. 1. circa materiam et formam hujus sacramenti; Sess. 22. c. 4. circa Missæ canonem, et c. 9. circa fidem de sacrosancto Missæ sacrificio; Sess. 24. circa matrimonium; Sess. 25. c. 1. circa purgatorium et c. 2. circa invocationem et intercessionem Sanctorum, Reliquiarum honorem, legitimum Imaginum usum et venerationem; de quo postremo dogmate etiam Conc. Generale VII in definitione fidei ita loquitur: *Fatemur unanimiter nos Ecclesiasticas Traditiones, sive scripto sive consuetudine valentes et decretas, retinere velle; quarum de numero est imaginum effiguratio... Traditionem observantes, definimus cum omni diligentia et cura venerandas et sanctas imagines, ad modum et formam venerandæ et vivificantis crucis, e coloribus et tessellis aut alia quavis materia commode paratas, dedicandas, et in templis sanctis Dei collocandas habendasque.*

VI. Ex doctrinis, sive dogmaticis sive moralibus, conglobatis apud Patres; inter quos Tertull. L. de Corona c. 3. et 4. inquit: *Denique ut a baptisate ingrediar, aquam adituri ibidem, sed et aliquando prius, in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo et pompæ et angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit: inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu quam præsentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus. Die dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis orare. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavera, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. Rationem Traditioni et consuetudini et fidei patrocinaturam aut ipse perspicias, aut ab aliquo qui perspexerit disces.*

BASILIIUS L. de Spir. Sancto c. 27. *Ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? ut ad orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Evangelium, verum alia quoque et ante et post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex Traditione citra scriptum accepimus. Consecramus*

autem aquam baptismatis et oleum unctionis; præterea ipsum qui baptismum accepit: Ex quibus scriptis? nonne a tacita secretaque Traditione? ipsam porro olei unctionem quis sermo scripto proditus docuit? jam ter immergi hominem, unde ex Scriptura habemus? nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt?

AUGUSTINUS demum ep. 118. ad Januar. scribit: *Quæ non scripta sed tradita custodimus... Sicut quod Domini Passio et Resurrectio et Ascensio in celum et adventus de cælo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebrantur; et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia. Alia vero quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejument sabbato, alii vero non: alii quotidie communicant corpori et sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi tantum Dominico: et si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes, etc.*

Objectiones contra hanc partem sicut contra singularia dogmata pugnant, sic propriis singulæ locis habentur.

73. *Observe.* Traditiones sacras depositas esse apud Ecclesiam, ostendunt sacræ litteræ 1. ad Tim. 6. v. 20. *O Timothee depositum custodi;* 2. ad eumd. c. 1. v. 13. et 14. *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti... bonum depositum custodi.* Et ibid. 2. v. 2. *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere: confirmant Patres, maxime Irenæus L. 3. c. 3. scribens: Non oportet adhuc apud alios querere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositarium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis; ut omnis, quicumque velit,umat ex ea potum vitæ... Quid enim? et si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsentis questione sumere, quod certum et re liquidum est?* Et Tertull. L. de Præscrip. c. 21. *Quid autem prædicaverint Apostoli, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per eandem Ecclesiam, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea:*

Comprobat denique Ratio; quia supposito, quod parte prima diximus, nullam post Apostolos revelationem novam fieri Ecclesiæ, debuit ab Apostolis apud Ecclesiam deponi doctrina omnis, quæ ipsi usque ad seculi consummationem necessaria erat; tum ut ex ea fidem moresque formaret fidelium, tum ut ex ea damnaret errores, quibus fidei morumque puritatem corrumpere studerent hæretici. Si autem omnis illa doctrina apud Ecclesiam deposita fuit, sequitur etiam depositas fuisse traditiones divinas, verbo Dei scripto non expressas, cum sine his memorati fines obtineri nequeant.

Adminicula porro traditionem depositam conservandi, præter singularem divinæ providentiæ curam, præcipua sunt imprimis Conciliorum canones, Patrum scripta, Historiarum libri, quibus traditiones primum oretenus prolata nec sacræ litteris comprehensæ, postmodum vel ad fideles docendos, vel ad hæreticos refellendos, vel ad fidem illustrandam consignata fuerunt: tum monumenta sive stabilia et permanentia, ut sunt templa, altaria, sacri fontes,

cruces, imagines, libri Ecclesiastici, et similia; sive transeuntia quidem sua in actione, sed tamen continuata per usum, observantiam et mores, qualia sunt ritus Sacramentorum, celebratio festorum, jejuniorum observatio, oblatio missarum diversarum, supplicationes, orationes etc.: demum successio continuata Episcoporum, et frequens hæresum sive nativitas sive resuscitatio; quorum illi doctrina sua sana, hæc autem perversa et damnata non sinunt traditiones antiquas obliterari.

## ARTICULUS III.

*Quenam sint Regulæ dignoscendi et usurpandi Traditiones sacras?*

74. *Nota.* Quanquam heterodoxorum plerique, teste CANO L. 3. de Loc. Theol. c. 1., non sint adeo stupidi, ut verba Christi et Apostolorum, quæ modo eorum esse constat, infirmare, atque sic quæstionem Juris negare pergant: in quæstione tamen facti contra Catholicorum argumenta tanto obstinatius suos errores propugnant, quo minus nosse nos putant quid Christus quidve Apostoli fuerint locuti, et quo magis ex hac ignorantia usum Traditionis ac vim argumentationis nostræ inde depromptæ vacillare contendunt. Utrique exceptioni opponimus regulas, quarum priores ostendant certas notas, quibus divinæ ab humanis et Apostolicæ ab Ecclesiasticis Traditiones dignoscantur; posteriores autem doceant methodum legitimam, quia argumentatio ex Traditione desumpta energiam habeat.

75. *Dico I.* Regula generalis dignoscendi an sit genuina, et qualis, Traditio sacra, stat in judicio Ecclesiæ. Ratio patet tum ex dictis (num. 73) quia Traditiones a Christo et Apostolis apud Ecclesiam sunt depositæ, et fideliter ab eadem custodiuntur: ergo si de aliqua Traditione oritur quæstio, sicut ad Ecclesiam spectat de illa testimonium dare et sententiam, sic ejus enuntiatio indubia est, certoque veritatem determinat: tum ex dicendis de Ecclesia tanquam giudice controversiarum; quia vi hujus characteris, sicut Ecclesia rite judicare potest de authentia sensuque Scripturæ, sic de Traditionis sacræ veritate et qualitate judicandi auctoritate pollere debet.

*Conf.* Facultas indubie judicandi de authentia et proprio caractere Traditionis, 1. necessaria est Ecclesiæ, cum dari veras traditiones probatum sit, et spurias a fraude aut simplicitate tam hæreticorum quam fidelium profectas plures constet experientia, adeoque vis utrasque discernendi necessaria appareat: 2. hæc facultas reipsa data est Ecclesiæ, ut satis ostendunt tum suavis Dei providentia, quæ non deficit in necessariis, tum promissa Spiritus sancti assistentia usque ad seculi consummationem: 3. eadem jam sæpius usurpata est ab Ecclesia, quemadmodum id enuntiant plura Concilia Generalia et Patrum testimonia de multis dogmatibus et institutis per Disputationem præsentem adducta: ergo.

76. *Dico II.* Regulæ speciales pro dignoscendis traditionibus stant in principiis certis, ex quibus origo Traditionis legitime deducitur.

Ejusmodi sunt pro asserenda *Traditione divina.*

I. Si traditio sit doctrina quam universa Ecclesia tenet tanquam dogma fidei; quia cum Ecclesia errare non possit in fide, quidquid tanquam fide